

Et *Fridugifus* (44) abit, sequitur quem discipulorum  
 Turba sagax, candens vestibus, atq; Fide.  
 Ordine composito sequitur dehinc cetera pubes,  
 Vestibus ornata munere Cæsareo.  
 Cæsar ut Ecclesiam gressu pervenit honesto,  
 Expofcit votis more suo Dominum.  
 Mox tuba *Theutonis* clare dat ritè boatum,  
 Quam sequitur Clerus protinus atque chori.  
 Miratur Herold, conjunx mirantur, & omnes  
 Proles, & socii culmina tanta Dei,  
 Mirantur Clerum, mirantur denique Templum,  
 Atque Sacerdotes, officiumque pium.  
 Regis præcipue mirantur premia magni,  
 Imperiis cuius currere tanta vident.  
 Dic, *Herolde*, precor jam nunc, quam pluris  
 amabis  
 Celse Fidem Regis, an tua sculpta nequam?  
 Ferque fabrita foci auri argenteique metalla,  
 Et tibi sive tuis inde paretur honos.  
 Si ferrum fuerit, fortassis ad arva colenda  
 Sufficit, & cultros inde fabrire jube.  
 Plus tibi vomer opes telluri infixus habebit,  
 Quam Deus ille tibi conferat arte sua.  
 Hic Deus est verus, Franci quem, Cæsar & ipse  
 Ritè colunt votis: hunc cole, linque Jovem.  
 De Jove fac ollas nigras, furvofque lebetes,  
 Ignem semper ament, auctor ut ipse fuus.  
 Neptuno fabricetur aquæ gerulus tibi jure  
 Urceus, & laticum semper habebit honos.  
 Interrea reverenter opes parabantur heriles,  
 Atque cibi varii, multimodumque merum.  
 Pistorum *Petrus* (45) hinc princeps, hinc *Gunto*  
 (46) coquorum  
 Accelerant, mensas ordine more parant.  
 Candida præponunt niveis mantelia (47) villis,  
 Marmoreo (48) disco dispoluere dapes.  
 Hic Cererem solitus, hic carnea dona ministrat.  
 Aurea per discum vasa federe vides.  
 Nec minus *Otho* (49) puer pincernis imperat  
 ardens,  
 Præparat & Bacchi munera lenta meri.  
 Cultibus almificis transactis ritè verenter,  
 Venerat unde prius, Cæsar abire parat

- (44) Quem supra vidimus Cancellarium Ludovici  
 Pi, similique Abbatem Monasterii Turonensis Sancti Martini.  
 (45) Hic appellatur *Pistorum princeps*: quae dignitas in aula Regum Franciae olim quoque viguit. Seculis subsquentibus magnus *Pistor*, aut *Magister panetarius Franciae* appellabatur, qui hujusmodi officio praefectus erat.  
 (46) Hic vero *Coquorum Princeps* dicitur. Et haec altera fuit in Palatio Francorum Regum illustris dignitas. A Theodosio Aurelianense Lib. 3. Carmin. exhibetur ex hinc Praefectus coquinariae rei unus, coquorum vallatus cuneis:  
 „Prudenter qui cuncta gerens, epulasque dapesque  
 „Regis honoribus deferas ante ibonium.  
 „Ab Hermanno quoque in Lib. de Restaurat. S. Martini Tornac., in Spicil. Dacher. Fulcrus Episcopus dicitur *filius principis Cocorum Regis Franciae*.  
 (47) Quamquam vulgo scribere soleamus *mantelia*, attamen, uti iam Daufinus in *Ortographia* monuit, antiquissimus Virgilii *Codex Vaticanus*, aliisque vetuti Codices habent *mantelia*. Heic peregrinum fortasse tibi videantur *mantelia* ita *villis niveis*, hoc est pilosa, adhibita in mensis. Verum Poeta nostra eruditum heic agit, mutuatus eam dicendi formam a Virgilio, aut ab Ovidio apud quos  
 „tonisque ferunt *mantelia* *villis*.  
 „villis manete solitus.  
 Autem vero Servius est, majores mappas *villas* habuisse. Ita apud Romanos: *num & apud Francos*, an vero heic versus gratia dicatur, aliorum esto judicium.  
 (48) Nota veterum Francorum mores.

A Aureus; & conjunx, proles, auratus & omnis  
 Cœtus abit, Clerus denique candidolus.  
 Inde pius moderando gradum pervenit in ædes,  
 Quo sibi Cæsareo more parantur opes.  
 Discubuit latus lateri *Judith* quoque pulcra,  
 Jussa, sed & Regis basiat (50) ore genu.  
*Hlutarius* Cæsar, nec non *Heroldus* & hospes  
 Parte sua residens, Rege jubente, thoro.  
 Miranturque dapes Deni, mirantur & arma  
 Cæsaris, & famulos, & puerile (51) decus.  
 Ille dies latus Francis Denisque renatis  
 Namque fuit merito, post recolendus erit.  
 Alter namque dies primo veniebat Eoo,  
 Cedunt altra polo, sole calefecit humus.  
 Venatum ire parat Cæsar, Francique solentes,  
 Et secum Heroldum Cæsar abiit jubet.  
 Infula propter adeit Rheni quoq; gurgite cinta,  
 Quo viret herba recens, et nemus umbrisferu.  
 Illuc quippe feræ multæ variaæque fuerunt,  
 Et latè filvis turba jacebat iners.  
 Hanc quoque complerunt venantum hinc inde  
 manipli,  
 Atque molosorum magna caterva simul.  
 Cæsar veloci residens terit arva caballo,  
 Wito (52) pharetratus cui comes ibat equo.  
 Plurima turba fluit juvenum, nec non puerorum,  
 Inter *Hlutarius* quos celer ibat equo.  
 Atque simul Deni, nec non Heroldus & hospes,  
 Spectandi studio huc quoque latus adeit.  
 Jam pia scandit equum *Judith* pulcherrima  
 conjunx  
 Cæsaris, ornata, comataque mirifice.  
 Quam proceres summi dominam, seu turba po-  
 tentum  
 Præterit (53), & sequitur Regis honore pii.  
 Jam nemus omne sonat crebris latratis ietus,  
 Hinc hominum voces, hinc tuba crebra furit;  
 Diffiliuntque feræ, fugiuntque per aspera dumis.  
 Nec fuga subdicio, nec nemus estque, latex,  
 Inter cornigeros occidit quoque damula cervos.  
 Dentifer ipse cadit cuipide fixus aper.  
 Cæsar latus enim dat corpora multa ferarum  
 Ipse neci, propria percult atque manu.  
*Hlutarius* que celere florens, fretusque juvena

Per-

- D (49) Inter Palatinas dignitates olim quoque ista fuit. Qui ea donati erant, *Baticulari* ab Hinckmaro, aliquique eorum temporum Scriptoribus appellantur; unde notum *Bottiglieve*. Hermelandus Abbas in ejus Vita apud *Mabillonum* dicitur primo constitutus a Rege *princeps Pincernari*. Vide *Du-Cangium in Glofaris Latino*.  
 (50) Supra vidimus, Proceres quosdam non ad pedes, sed ad genu Imperatoris osculandum accessisse. Nunc animadversione ac stupore dignum, tunc ipsis Imperatorum five Regum Francorum uxoribus in more suis, desculari genua proprii viri. Immutata tempora sunt, immutati & mores.  
 (51) Pro pueris; quos nempe nunc *Paggi* appellamus. Neque enim dubito, quin *Regibus* & Imperatoribus olim quoque forent pueri honorari ad eorum servititia adsciti. Qui nutriti in Aula Regia dicebantur, ii præcipue ex eorum numero fuerint. Supra in Lib. I. occurrit etiam  
*Vassorum Principis*, *Caroli nutrimine fretus*. Infra bis recurrat idem puerile decus.  
 (52) Idem est *Vido*, & *Guido*. Hung venationi Praefectum arbitrator, quae dignitas in Palatio Regum Francorum inter primas adnumerata olim fuit, Hinckmaro teste in Lib. de Ord. Palatii. *Venatores* etiam inter fuos *Ministeriales* recenter *Carolus Magnus in Epistola*, quae edita est inter *Leges Langobardicas* part. II. Tom. I. Collectionis hujus. Circiter ea tempora floruerunt *Vidores*, five *Guidones*; sed incertum, an aliquid communione cum isto haberint.  
 (53) Hoc est *præcedit*.